

**De scarlatinae et morbillorum epidemia anno 1818 et 19 observata :
dissertatio inauguralis medica pro rite obtinendis summis e medicina et
chirurgia honoribus / quam publice edidit Laurentius Zierl.**

Contributors

Zierl, Lorenz.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Landishuti : Typis Franc. Seraph. Storno, [1819]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/hyphzzyc>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





De
S c a r l a t i n a e

9

et
morbillorum epidemia

anno 1818 et 19 observata

Dissertatio inauguralis medica

pro

rite obtinendis summis

e

Medicina et Chirurgia honoribus

quam

publice edidit

Laurentius Zierl,

Philosoph. Doct.

Furtensis e Circulo Danub. infer.

Die 20. August 1819.

Loco et hora consuetis.



Landshuti,

typis Franc. Seraph. Storno.

stulant, cogitavi. Nam e medicinae
scholis nondum elapsus nil in praxi
aurea vidi, quod describendo dignum
judico. Ut ipse faber operis alicujus
sim, aut jam longe lateque fabricatus
sim oportet, aut e phantasia phanta-
sticum producam necesse est; illud
fieri non potest, quod ante praxeos
portas sto, hoc repudio, quod existi-
mo arbitrorque, medicum, qui phanta-
siam rebus medicis tam inimicam amicam
habet, pessime sibi consuluisse. Unum
manet remedium, e diversis autorum
celeberrimorum libris aliquid rapere,
et e variis partibus rem versicolorem
componere.

Verum enim vero nullus terrarum
orbis, nullus populus, nulla natio
omnis veritatis est capax, nullus sa-
piens, nulla aetas omnia obscura aut
detexit, aut unquam deteget. Quisque
pro facultate sua nitatur, ut quam
minimam partem accumulet; cuique
sunt oculi, ut videat, et mens, ut ju-
dicet. Anno 1818 et 1819 in oppido meo
aeterno scarlatinae et morbillorum epi-
demiam vidi, quam descripturus sum.
Multum novi quidem non expediam;
verum ut minimam etiam partem no-
vi literis tradam, multo praestare ju-

dico, quam si plurima aliena rapta aut
ex phantasia producta conscripturus
fuissem.

C a p u t I.

Scarlatinae et morbillorum epidemiae generalia.

Literarum studiosus, antequam medicinae studio me addixi, jam saepius, dum a musarum sede ad parentum domicilium redieram, vulgum dicere audivi, epidemias e Bohemia ad oppidum meum paternum migrare. Verum meam medicinae cultui nondum deditam attentionem his sermones in se nondum convertere potuerunt. Quum anno elapso (1818) feriis vernalibus domi commorarer, scarlatinae epidemia eodem tempore multas Bohemiae regiones occupaverat, unde populares mei jam ab epidemia se petitum iri pronunciarunt; et eventus effatum non fefellit. Nam ineunte ejusdem anni aest-

tate subito vir jam aetate proventus rubescere coepit. Quum in feriis autumnalibus ad oppidum, quo natus sum, rediissem, multos et adultos et infantes a scarlatina correptos aspexi. Recordatus sum eorum, quae jam pronuntiata sciebam, et rei nunc paululum cupidior, diligentius inquisivi, quid sit, quod epidemia tam certo, tam regulari gressu procedat, ut eam huic illucque adventuram pronuntiari queat.

In universa regione nullum scarlatina aegrotantem audivi; in valle solum, in qua oppidum situm est, homines morbo epidemico afflictos vidi. Quum rei hujus curiosae causam speculans aegrum cum patre meo medico visitarem, animadverti, valli nostrae solem a nubibus obscuratum fuisse, quum cis et citra montes, qui vallem cingunt, solis aestuavit calor. Ventus flavit Bohemicus sic dictus a regione inter septentrionem et orientem intermedia proveniens. Haec observata memoratu digna mihi videntur ad majorem epidemiae evidentiam se propagantis.

Quo clarius pateat, oppidi situm paululum describam. Vallem, in qua Furth oppidum situm est, cingunt montes duo paria distantia invicem oppositi, et a regione boreali ad meridionalem decurrentes, quod fit, ut valli duo sint aditus, unus a septentrione, ubi sylvarum Bohemicarum series diffissa est, alter a meridie, ubi montes paululum ad se vergentes portae instar nubes flante vento boreali includebant, unde phaenomenon supra dictum originem ducere videtur, quo viso maxime sum delectatus; nam haec dicta non inutilia ad epidemiae naturam et propagationem cognoscendam puto. Scarlatinae et morbillorum epidemias a Bohemia regressas oppido invasisse, certum est, eas secundum vallis directionem se propagasse, vidi. Ex mortuorum tabellis exploratus sum, scarlatinam gangraenosam anno 1805, inflammatoriam anno 1809 et 14 in oppido saeviisse, unde patet, hanc regionem prae caeteris hoc malo cruciari, quod tempore certo elapso iterum redire videtur. Haec observata non vana theoria

progenita puto et inutilia, quum jam cl. *Stoll* medicos est hortatus, ut diligentius locorum, quos epidemiae occupant, situm et montium directionem explorent. Epidemia scarlatinae aestate ineunte ad oppidum ex Bohemia migravit, mensibus Julii et Augusti viguit, autumno pedetentim recessit, anni vero sequentis vere iterum rediit vehementia quidem minore, sed nonnullos nihilominus in regressu cecidit *Diomedis* instar illius herois ad Troiam, quem *Homerus* etiam repulsum saepius redire, et contrarios caedere canit. Propagatione hujus epidemiae, quantum licuit, explorata febrim secundum fluminis *Regini* ripas usque ad urbem *Ratisbonam* descendisse comperi. Hoc momento, quo hoc scribo, scarlatinae epidemiam in *Neoburgum* ad *Danubium* situm invasiss elego. Scarlatinae epidemia nondum disparuerat, quum anno 1819 sub finem mensis *Aprilis* mobillorum epidemia oppidum petiit, atque ea directione, qua scarlatina comparuerat ab aquilone versus africanum. Eodem tempore in vicum *Bohemicum* ver-

us aquilonem situm milliare ab oppido
distans grassata fuerat.

Epidemiam abeuntem altera per-
secuta est, ita ut unius finis et alterius
origo concurrerent. Postquam mensibus
tribus elapsis ab oppido discesserat, in
regione milliare unum distante grassatur:
multo tardius quam febris scarlatina in-
greditur; inde patet, morbillos aegritu-
dinem minus volatilem sistere.

C a p u t II.

Scarlatina.

Febris hoc autumno annua erat in-
flammatoria pura; inde febris scarlatino-
sa inflammatoriam pro socia admisit. Nam
clarissimi medici jam inter se consentiunt,
propriam non dari febrim scarlatinosaam,
sed exanthema febrim semper annuam et
stationariam aemulari. Bene notes vero
velim, eodem tempore, quo febris pura
inflammatoria homines petiit, boves peri-
pneumonia inflammatorio - putrida epide-
mice regnante periisse.

Febris exordiebatur a morositate, somnolentia, appetitu prostrato, capitis pondere, accedente ad vesperam horrore et calore. Cutis erat sicca, alvus plerumque retenta. Aegri de faucium siccitate et dolore conquesti sunt: raucedo et deglutitio difficilis, tussis vero non ubique aderat. Pulsus varii, in plurimis parotidum, glandularum submaxillarium tumores, in paucis deliria et convulsiones conspiciantur. Die febris vario comparebant aspredines miliformes, miliaria rubra referentes; hinc scarlatina miliformis est audita. Efflorescentiae illae rubrae in facie, collo, pectore, dein in manibus et pedibus comparentes cum cutis tumore aliquo, ardore et pruritu semper se expandentes ad plagas latas, quae inter se confluentes panni scarlatini ruborem sub totam cutem tecti referebant. Febris paululum mitescebat efflorescentia facta, symptomata vero gastrica magis urgebant, e.g. lingua albida, muco tecta, nausea, cardialgia. Angina scarlatinosa sine exanthe-

mate non est visa. Diebus tribus vel quatuor elapsis rubor cutis sensim palle-
scebat, febris etiam symptomatibus minu-
ttis et secretione critica quadam e. g. per
urinae sedimentum aut sudorem universa-
llem facta. Epidermis in rugos contracta
per modum furfurum, quo ordine exan-
thema prorupit, secessit.

Cura scarlatinae nil aliud expostula-
bat, nisi non nocere, omnia ergo inci-
tantia et nutrientia et reprimentia e. g.
frigoris dimovere. Infantibus teneris nil
aliud quam diaeta antiphlogistica est or-
dinata, et fere in omnibus, qui hac me-
thodo sunt usi, res bene cessit.

In adultis et feбри fortiori vena est
secta successu optimo, in infantibus vero
et feбри forti hirudines ad collum sunt
positae imprimis, si deglutitio et respira-
tio fuerat difficilis.

Bene caveas, ne incautius ex gastri-
cis symptomatibus febrim gastricam com-
plicatam suspiceris. Nam emetico incau-
tius propinato res in pejus ruere vidi.
Alvus vero semper libera habenda est.

Quid de rubefacientium et aquae frigidae applicatione judicem? Rubefacientia sunt incitantia; in feбри igitur vehemēti inflammatoria non sunt applicanda; his non nisi in stadio debilitatis, exanthemate retrogresso, in complicatione nervosa bene uteris. Quod ad aquas frigidas spectat, paulo ante diebus elapsis in literis publicis legi, medicum Viennensem lotiones et perfusiones cum aquis frigidis in efflorescentiae stadio remedium certissimum et minime periculosum esse expertum. Sed jam satis constat, has frigidas lotiones jam a Currie esse applicatas, et omnes, qui postea hac methodo usi sunt, esse confessos, hoc remedium non omni periculo carere, unde remedium jam notum et minus periculosum minus probato et periculosiori esse praeferendum judico. Nam sufficit, potulenta emollientia cum lenibus diapnoicis remixta, collutoria antiphlogistica et cataplasmata emollientia propinari. Omnes fere infantes hac methodo tractati reconvalescebant; perpauco non nisi sub deliriis phreniticis et so-

ore, et unum sub convulsionibus in
corbi incrementi stadio perire vidi. Pe-
cculum etiam et perniciem sequentibus
alb conditionibus impendere vidi, et

I. quidem exanthema quocunque mo-
do retrogressum aegrotantes discrimine
maximo pressit. Prognosis ergo mala gignitur
ex exanthemate retrocesso. Ut hoc
clarius pateat, historiam, quam vidi, nar-
abo.

Historia

exanthematis retrogressi.

Juvenis 18 annorum, constitutione
anguinea, habitu gracili, fibra laxa fe-
bri scarlatinosa aegrotavit. In stadio ef-
lorescentiae eum vidi. Febris erat vehe-
mens; faucium rubor magnus, deglutitio
vero minus difficilis quam pro tumore
artium; pulsus plenus, durus; cutis
frigidissima; anxietas et inquietudo maxi-
ma; lingua sicca, albida; sitis magna.

Vena secta est; emulsio amygdalina
ordinata.

Aegri lectus in loco erat, ubi quaedam porta venti ruebant. Praeterea serva stulta aegro sitiensi, qui potum theatum emollientem bibere negavit, potum coffeanum dederat, unde febris ingens; os et pharynx tanta mucii viscida mole tecta fuerunt, ut deglutitio difficillima, suffocationis metus adesset.

Iterum venae sectio est facta. Gargarisma emolliens est applicatum, unde mucii illius copia magna ejecta est cum multo levamine. Aegrum ad locum alium a vento frigido defensum transportari medicus jussit, quod factum est. Sed quum in domicilio, quo aeger hucusque aegrotavit, alius locus non adesset, ad domum tria millia passuum remotam aeger transportatus est; tempestas erat frigida, coelum pluvium. Quum igitur aegrum viderem, rubor livescere, et in colorem coeruleum, ex albo cinereum mutari coepit. Pulsus frequentes, irregulares, parvi; oculi turbidi, lacrymantes, immobiles; lingua sicca, mucio flavo viscido oblinita; sitis nulla, ciborum aversio; vox aspera, stu-

por, auditus gravis, responsio tarda, co-
 ma, musitatio; facies tristis, pallida,
 flavescentes; cutis sicca, urina aquosa; ob-
 mubilatio, omnium oblivio; temporum
 collapsus acutique nasus, ac extremorum
 frigus. Medicus pronuntiavit mortem,
 ni horis aliquot elapsis symptomata in-
 meliora se vertissent, et ordinavit infu-
 ssum Sambucci cum Spiritu Mindereri ac
 vesicans ad nucham et sinapimos ad suras
 et plantas pedum. Post prandium deli-
 rium mite in furiosum mutatum; color
 quidem cutis ex albo cinereus disparue-
 rat, rubor vero scarlatinus porro non
 visus; puncta miliformia alba in cute an-
 serina conspiciebantur. Aeger in lecto
 retineri non poterat; matrem non agno-
 vit; maledixit ei, et vim intulisset, ni pro-
 hibitus fuisset, nullius mulieris patiens,
 semper auffugere conans, quod incarce-
 ratum et a furibus rebus suis spoliatum
 se putavit; vesicantia et sinapismos de-
 traxit, medicamina semper screavisset,
 ni a medico et sacerdote, quos omnium

maxime verebatur, verbo gravi et aspero coactus fuisset. Extremorum calor iterum redierat; robur majus quam pro habitu suo; vigiliae continuae; nunc lacrymatio, maledictio et ejulatio; nunc loquacitas, risus cantusque. Ordinati sunt pulveres ex Op. pur. gr. I. Sal. C. C. gr. IV. p. d. cum infuso Valerian. sylvestr.

Altero die omnia eadem. Propinati sunt pulveres ex Mercur. dulc. gr. II. Sulfur. aurat. antimon. Camphor. ana gr. β . p. d. cum infus. Valerian.

Die tertio delirium furiosum in mite iterum mutatum erat. Madescibat lingua, somnus et ciborum perceptio redierat, sitis major, cutis adhuc arida. Ordinatum est infus. Valerian. cum Sp. Minder.

Die quarto sudor aequaliter per corpus diffusus; deliria evanuerant; somnus redierat; desquamatio cutis.

II. Periculum gignitur ex hydrope, morbo scarlatinae secundario; tanta nempe superest desquamatae cutis sensibilitas, ut subinde levi aëre intra quatuordecim convalescentiae dies admissio hydrops

cequeretur. Qua de causa major quidem ab una quam ab altera hujus naturae epidemia in hydropem relinquatur dispositio, sine latet, Nam in vico miliare unum ab oppido distante, quo epidemia anni exordio migravit, hydropis dispositionem tam parvam fuisse audio, ut infantes rustici nudo pede sanorum instar in nive et glacie luderent, et hydrope immunes manerent. In oppido contra, cujus incolarum duo millia sunt, febris scarlatinae 112 perierunt; ab hydrope vero trucidabantur infantes 2 mense Junii, 6 Julii, 8 Augusti, 2 Septembris, 1 Octobris et Novembris, 4 Martii anni sequentis, 2 Aprilis. Mortuorum natu minimus erat unum, maximus 17 annos natus.

Historia

hydropis acuti secundarii.

Puer 7 annorum absoluta scarlatina priusquam par erat, lectum evasit; elapsi enim non erant a morbo primario 14 dies. Post transpirationem igitur suppressam

reconvalescens de lassitudine et languore conqueri, cibos aversari, et noctu in somno saepius expergisci coepit. Pulsus erant frequentes, duriusculi; urina parca, rufa, turbida; facies albida, tumida; circa praecordia anxietas; pedes intumescere coeperunt, dein crura, scrotum, abdomen, cutis universa, ut penis antibrachii magnitudinem aequaret, miserque semper sedere cogereetur; sic enim dispnoeae et tussis siccae molestiae paululum mitescebant. Squilla et aliis diureticis incitantibus a chirurgo ignoro tractatus de die in diem pejus se habuit. Medicus tandem vocatus ordinavit pulveres ex Mercur. dulc. gr. β . hb. digital. gr. $\frac{1}{4}$ et potum calidum emollientem, leniter diaphoreticum. Per 8 dies 30 fere granis Merc. dulc. assumptis urinae copiam maximam minxerat; tumor fere disparuerat, quum subito salivationis prodroma advenerunt. Pulveribus mercurialibus missis ordinata est emulsio amygdalina. Altero die salivationem adesse adspexi. Collyria emollientia sunt applicata. Quisque in ptyalismis initio adstrin-

gentia propinare caveat; nam incautiorem
istorum applicationem saepe hydrops se-
qui solet. Cataplasmata emollientia ad
glandularum salivalium tumores sunt po-
sita, unde res bene se habuit, quum con-
vulsiones sine omni causa manifesta per
5 horas aegrum fere ad mortem usque
cruciaverunt; quibus cessantibus medicus
ordinavit pulveres ex Camphor. gr. I. sul-
fur. aurat. antimon. gr. II. et ungt. ex Ol.
Amygdalar. unc. β. Camphor. gr. XII. Die-
bus aliquot elapsis salivatio fere desierat;
ordinatum est dectum hb. salv. ad garga-
risma.

In reconvalescentia nutrientia, robo-
rantia e. g. cort. Peruvian. primo infusum,
dein decoctum est adhibitum.

Hac methodo multi aegri mortem au-
fugerunt, nisi hydrothorax eos petierit:
nam omnes hoc malo suppressi saepius
jam die secundarii hujus morbi secundo
subito periisse observavi. Certissime vero
et celerrime mortem subiverunt, quibus
aqua in ventriculis cerebri erat collecta.
Nam infantes, qui hora antea elapsa sub

jove ludebant, subito apoplectice decesserunt. Nonnullos hydropicos sub convulsionibus vitam exspirare vidi. Hydrops plerumque per 14 dies duravit; nonnunquam vero chronicus factus est curationis multo laboriosioris acuto. Curabatur determinando ad systema urinarium e. g. per pulp. Squill. gr. $\frac{1}{4}$ p. D. c. Rheo; sollicitando alvum; praecavendo relapsum tonicis e. g. Chin. cort. imprimis vero adhibendo balnea et in chronico et in acuto. Morbus secundarius Illius erat cordis palpitatio. Debilitas maxima, respiratio difficilis, anxietas circa praecordia, pulsus frequens et irregularis erant symptomata concomitantia. Curabatur digitali purpurea, et roborantibus. Multi tandem atrophia periere.

C a p u t III,

Morbilli.

Febris annua erat inflammatoria, febris igitur morbillosa indoli inflammatoriae favebat. Praecedebant febris inflammatoriae symptomata, horror, frigus calorque alternatim; sitis lingua albida; capitis gravedo et dolor; accedebant tussis

tacea, dispnoea, raucedo et omnia cory-
 zae symptomata, sternutatio continua; im-
 primis symptomata gastrica, ciborum a-
 versio, nausea, vomitus, quo frequenter
 vermes lumbricoides ejiciebantur; stillici-
 dium humoris acris ex oculis cum tumore,
 rubore, pruritu palpebrarum; somnolen-
 tia, inquietudo, anxietas; respiratio dif-
 ficilis. Quarto aut quinto die eruptio ma-
 cularum minutarum rubrarum morsus pu-
 ticum referentium primo in fronte et facie
 sensim numero et magnitudine auctae, ra-
 cematim cohaerentes, ex innumeris par-
 vulis papulis supra cutem elevatis, cum
 aspredine tactu quidem non vero visu ob-
 servanda. Eruptione absoluta omnia symp-
 tomata cessabant; tussis tamen et raucedo
 continuabant, saepius ferocitate augeban-
 tur. Die sexto tandem, quo loco primum
 erupit, exanthema ad frontem et mentum
 pallescere coepit, in reliquo corpore ma-
 culis intensius rubris, donec die octavo
 papulae farinae instar evanescerent. In
 genere, quod ex his relatis patet, morbilli
 morbo leviori decurrebant, quam scarla-
 tina; nam apparatu antiphlogistico adhibi-
 to res optime cessit. Saepissime vero stulti
 homines, ut exanthema expellerent, in-
 fantibus incitantia e. g. vina generosa bi-
 benda dederunt, sed fere omnes hi ae-
 gri male perierunt. Nam quod de scarla-
 tina dictum est, hoc de morbillis feliciter
 licet jam superatis valet monitum, reliqui-
 as scilicet magis quam exanthema ipsum

aegrotantibus esse timendas. Sine omni causa cognita, etiamsi omnia incitantia evitaveris, et aegrum maxima diligentia tractaveris, tubercula et vomicae pulmonum aegrum trucidabant. Perpauci in febris sunt mortui. Febris quidem plerumque minuebatur, tussis vero augebatur, et lethalis peripneumoniae occurrebant symptomata; tussis semper pertinacior, siccior, ad minimum motum aucta; respiratio difficillima, parva, anhelosa, strepens; decubitus quisque intolerabilis, ita ut aegri erecti portari deberent, et mors ex improvise suffocans aut apoplectica miserorum vitam intra aliquot dies finiit. Plerumque vero aegri tam celeriter non trucidabantur. Nam vomica sensim infantes intra 14 dies consumebat. Tussis etiam continuabat, dispnoea augebatur, respiratio difficillima et omnia symptomata vomicae factae aegrum cruciabant usque ad perniciem, unde colligi potest, vomicam ex morbillis semper lethalem. Hoc modo perierunt in oppido mense Aprilis 14, Maji 10, Junii 3; natu minimus erat unum, maximus novem annos natus. Duo etiam asthmate perire vidi; nonnulli lente tabescebant. Memoratu dignum est, plurimos morbillis feliciter absolutis doloribus rheumaticis e. g. in regione supraorbitali, temporali esse affectos. Leniter diaphoretica vero hos dolores celerrime fugarunt.

T h e s e s

ex universa

Medicina et Chirurgia,

quas Praeside

Henrico de Leveling,

cons. aul. reg. Med. et Chir. Doct. et Prof. p. o. seniore,
regii ord. civilis meritorii coronae Bavariae equite

publice defendet

Laurentius Zierl,

Philosoph. Doct.
Furtensis e Circulo Danub. infer.

Die 20. August 1819.

Loco et hora consuetis.

Landishuti,

typis Franc. Seraph. Stornö.

F. H. E. S. S.

on the

History of the

of the

of the

of the

of the

of the

of the

of the

of the

of the

of the

of the

of the

of the

T h e s e s.

1.

Ⓐ Medicina, a Philosophia cave!

2.

Medicinam theoriae certitudine chirurgia non antecedit.

3.

Anatomia nihil ad morbos curandos confert.

4.

Physiologia cum anatomia comparativa conjuncta in via Bichatiana optime se habebit.

5.

Vires animales calculus mathematicus non capit.

6.

Humoris transudatio in vivo et sano corpore non existit.

7.

Sanguinis circulatio in arteriis est mechanica.

8.

Secretiones cordis dominio non sunt subjectae.

9.

Etiam foetui sanguinis circulatio videtur duplex esse.

10.

Matrum imaginatio in foetus formationem negari non potest.

11.

Liquida aegrotare non possunt.

12.

Haemorrhagiae ferro gignuntur, ferro sistuntur.

13.

Non omnis haemorrhagia e vasorum diruptione nascitur.

14.

Cuique membranae propria inflammatio, suppuratio et mors.

15.

Mehercule, Opium non sedat!

16.

Acida et rubefacientia non sunt anti-
phlogistica.

17.

Roborantia alvum movent et sistunt.

18.

Non exstat purgans antiphlogisticum.

19.

Metalla nonnisi praeparata servantur
et adhibeantur.

20.

Multum differt, num ἄνω an κάτω
evacues?

21.

Diarrhoea in peripneumonia saepe bona.

22.

Vomica ex morbillis semper lethalis.

23.

Miasma exanthematum certum est,
nequaquam vero febrium.

24.

Non exstat febris maligna et sui ge-
neris.

25.

Omnis mors est apoplectica.

26.

Difficillimum est medici iudicium, num
vulnus lethale sit necne.

27.

Vix iudices, quando foetus vitalis fiat.

28.

Monstrumne vita dignum sit, nec ne,
dijudicare iudex non valet.

29.

Hermaphroditismus est monstrositas.

30.

Hermaphroditismus non semper recu-
sat generationem.

31.

Quaeritur, annon partus artificialis in
pelvi angustiore post tricesimam hebdo-
madem sit instituenda?

Quaestio inauguralis.



D. Promovendi:

*De damno, quod medicinae intulit sic dicta
philosophia naturae.*





